

rantis ad genitum. Et quia in nobis communicatio non est summa, manet in ipsa communicatione naturæ similis; in Deo vero, quia summa communicatio est, transit ad identitatem, et tamen formalissime manet ratio generationis, de quo infra disputatione duodecima.

XVI. Ad confirmationem responderetur inter Patrem et Filium inveniri illam complacentiam, et velle bonum alteri propter ipsum, secundum rationem unius et ejusdem actus, transeat; secundum rationem mutui actus et correspondentiæ, nego; et ex hac parte deficit ratio amicitiae, ut consistit in ipso actu, seu actibus amoris, non ut ex parte amantum se tenet. Ad id vero quod dicitur de amore concupiscentiæ, dicimus quod est amor in Deo, quo se ipsum amat, et vult sibi, distinguo; per amorem communiter dictum, et fundantem solam rationem gaudii et delectationis, transeat; per amorem fundantem tendentiam in bonum absens, vel in bonum distinctum a se, quod per amorem communicativum et unitivum, non identicum attingi possit, nego. Hoc autem requiritur ad concupiscentiam stricte et proprie dictam, ut ex D. Thoma explicavimus. Idem dicimus de Spiritu sancto, qui amore essentiali vult alias Personas, non amore habente rationem mutui et correspondentiæ, sed identitatis; et sibi vult bonum divinum, et se ipsum non ut distinctum aut absens, et sic non vult amore concupiscentiæ stricte dictæ.

ARTICULUS II.

An sint in Deo formaliter effectus fugæ, odium, tristitia, ira, spes, etc?

Omnes effectus qui ad fugam in voluntate pertinent, reducimus ad

illos, qui versantur circa malum fugiendo, vel etiam ad illos, qui licet circa bonum versentur tamen quia difficultatem vel arduitatem in ejus adeptione inveniunt, ratione cujus aliquo modo retrahitur voluntas, et indiget conari et impelli ad vincendum ut spes, audacia, etc. Et ideo de illis in præsentis articulo agimus, sicut in præcedenti de affectibus prosecutionis, ut amore, gaudio, etc.

ODIUM ET TRISTITIA IN DEO NON EST FORMALITER.

I. Supponimus tamquam rem clarissimam, quod si loquamur de istis affectibus, ut pertinent ad appetitum sensitivum, et vocantur passiones, nullo modo possunt Deo attribui, nec aliquis potest id cogitare, nisi errore maximo, putando Deum corporeum esse. Quare hoc modo non solum effectus fugæ, sed nec etiam prosecutionis ut amor, si sumatur ut passio sensitiva, Deo attribui potest formaliter. Loquimur de istis affectibus prout ad voluntatem pertinent, et spirituales sunt. Et secludimus etiam in his omnem imperfectionem, sicut in tristitia, aut ita id quod aggravationis, et tædii habet in voluntate, et quod dimittit de ratione gaudii, et similes aliæ imperfectiones, quas in nobis afferunt isti actus, quatenus nobis malæ, et aliquam privationem boni habent; in Deo enim nihil imperfectionis ponendum est. Sed loquimur de istis affectibus, ut ab omni imperfectione deputatis, an ponendi sint in Deo, si forte ab omni imperfectione possunt segregari: nam si aliqua sit quæ ita intrinsicam habeat imperfectionem, ut ab ea separari non possit, illa formaliter non ponetur in Deo.

II. Igitur odium proprie, et forma-

liter in Deo reperiri, docet Vasquez hic disp. LXXXIV, c. III. Et loquitur tam de odio abominationis, quam inimicitiae, ita quod Deus non solum habeat odio peccatum, sed etiam peccatorem, quatenus talem. Differt autem odium abominationis, et inimicitiae, quod abominatio versatur circa ipsum malum, inimicitia circa personam, cui volumus malum; et ita hoc duplex odium correspondet, et contrariatur duplici amori, scilicet concupiscentiæ, et amicitiae: sicut enim concupiscentia est circa rem volitam, amicitia circa personam, cui illam volumus, ita odium abominationis est circa ipsum malum, quod displicet et abominamur: odium vero inimicitiae circa personam, cui volumus aliquod malum. Utrumque ergo odium Vasquez assignat Deo proprie et non metaphorice, et in eo sensu intelligenda sentit loca Scripturæ, quæ Deo attribuunt odium, non solum respectu peccati et impietatis, sed etiam respectu peccatoris. Eandem sententiam docet Molina super quæstionem xx, art. 1, et Suarez libro III de attributis, c. VII, num. v; Arrubal super hanc quæstionem xx, num. VI; Herice, disp. xx, c. IV; Alarcon, tract. III, disp. VII, c. III, quamquam de odio inimicitiae, an Deotribuendum sit, Suarez ubi supra hæret, putatque quæstionem esse de nomine; simpliciter enim docet Deum odio habere peccatorem, juxta quod dicitur Sap. XIV: *Odium sunt Deo impius, et impietas ejus*: et Psalm. V: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem*; quas locutiones videtur D. Thomas in præsentis quæstione xx, art. II, arg. IV, et solutione ad illud, in sensu proprio admittere.

III. Sed quia in odio abominationis Deus non abominatur, et fugit malum aliquod quod sibi inest, quia incapax est mali in se, sed solum

malum alienum, seu quod extra se est, ut peccatum, non nulla intricatio nascitur his auctoribus, quare in Deo non possit esse tristitia, etsi non de malo proprio, saltem de malo alieno: tristari enim possumus, etiam de malis aliorum, quia displicent nobis, et gaudium non causant. Vasquez ideo negat tristitiam Deo, quia esset de malo præsentis; si autem detur circa malum proximi, ideo est, quia apprehenditur, ac si esset proprium, quod Deo competere non potest. Suarez, quia tristitia vel est de malo pœnæ, et hæc ex voluntate Dei provenit, et sic non contristat, quia tristitia est de his, quæ nobis nolentibus accidunt. Vel est de malo culpæ, et hæc si est gravis, dissolvit amicitiam, et sic non contristat Deum, quia est malum inimici, non amici, et proximi: si autem est levis, potest illam de facili impedire, et non contristat. Alii ideo negant Deo tristitiam, quia importat quamdam animi anxietatem, quæ a Deo longe abest; odium vero sine molestia, et anxietate est, sed cum simplici displicentia salvatur. Quæ rationes quantam valeant, statim ponderabitur.

IV. Nihilominus dicendum est, odium non convenire directe et proprie, sed metaphorice et consecutive scilicet, quia diligendo aliquid directe et proprie, dicitur oppositum ex consequenti odisse, aut ad modum odientis tractare. Itaque odium est in Deo, non ut quid totaliter oppositum amori, sed ut consecutum ad aliquam amorem. Et loquimur tam de odio inimicitiae ad personas, quam de odio abominationis circa malum in se. Sumitur hæc conclusio ex D. Thoma I contra gent. c. xcvi, ubi non solum loquitur de odio inimicitiae, sed etiam de odio abominationis: dicit enim quod: « Dicitur Deus aliqua odire similitudinarie, et

hoc dupliciter. Uno modo, ex hoc quod Deus amando res, volens earum bonum, non esse vult contrarium bono, scilicet malum non esse: unde malorum odium habere dicitur. nam quæ non esse volumus, dicimur odio habere. Alius autem modus est, ex hoc quod Deus vult aliquid majus bonum, quod esse non potest sine privatione minoris boni, et sic dicitur odire, cum magis hoc sit amare. » Ubi non solum loquitur D. Thomas de personis, quæ odio inimicitiae attingi possunt, sed etiam de ipsis rebus malis, quæ per abominationem odio habentur; docet enim quod volendo aliquid bonum odire, dicitur malum oppositum, vel privationem minoris boni velle, quod utique est odium rerum, et non solum personarum: et certe si Deus potest immediate habere odium abominationis de aliquo malo, non apparet cur non possit illud malum quod abominatur, alicui personæ velle, in quantum indigna bono; et sic habere poterit odium inimicitiae ad personam, si habet odium abominationis ad res. D. Thomam sequuntur communiter ejus discipuli, super hac questione xx, a. ii, ubi videri potest Navarrete cont. xxvii, Gonzalez disp. lxii, Ferrariensis i contra gent. c. xcvi, Capreolus in i, dist. xlv, quæst. i, art. i.

V. Fundamentum hujus assertionis ad id reducitur quod Deus non potest habere odium ut contrarium amori, et ab omni amore purificatum, sed solum ut consecutum ad aliquem amorem, et hoc proprie non est odium, sed effectus quidam amoris. Pro quo est notandum quod odium non importat solam nolitionem boni, vel volitionem mali, sed etiam importat motivum talis volitionis, scilicet quod sit ex ipsa dissonantia appetitus, seu voluntatis cum tali re, quia dissonat nobis, non

autem ex alio motivo, id est, ex alio bono amato, ex quo consequitur oppositum ejus non amari: constat enim quod aliquando volumus alicui malum, seu nolumus bonum, non ex odio quod ad ipsum habemus, sed ex alio motivo, v. g. ex obligatione justitiæ, qua cogimur condemnare et punire etiam quos diligimus. Similiter inter duo bona eligimus unum alio relicto, non ex odio ejus quod relinquatur, sed ex gratia quam alteri volumus facere, vel quia simul utrique non sufficit id quod damus. Quare odium non solum requirit fugam alicujus rei, vel illationem mali, seu nocementi, sed etiam requirit causam, et motivum, ut scilicet id fiat ex dissonantia quam habemus cum re illa, vel illa res erga nos, tamquam ex motivo. Unde S. Thomas 1-2, q. xxix, art. i, dicit quod: « Odium est dissonantia quædam appetitus ad id quod apprehenditur ut repugnans et nocivum. » Ex apprehensione ergo hujus repugnantis et nocivi oritur illa dissonantia: dissonantia autem, seu repugnantia ut apprehensa est motivum: ergo dissonantia, ut motivum causat odium, quod est dissonantia formalis in appetitu. Si autem aliqua volitio mali, seu nolitio boni, non oriatur ex tali motivo repugnantiae et dissonantiae apprehensæ, sed ex alio motivo amato, quod non compatitur cum volitione talis boni, potius talis nolitio est effectus, et extensio quædam amoris, quam odium, quia ex motivo amoris nascitur; odium autem ut opponitur amori, debet nasci ex opposito, et contrario motivo amoris, scilicet ex repugnantia, et dissonantia cum aliqua re, sicut amor nascitur ex convenientia, et consonantia appetitus cum aliquo objecto. Unde dicit S. Thomas citato loco art. ii ad ii, quod: « Amor et odium sunt contraria quando accipiuntur circa

idem: sed quando sunt de contrariis, non sunt contraria, sed se invicem consequentia: ejusdem enim rationis est quod ametur aliquid, et quod odiatur ejus contrarium; et sic amor unius rei est causa quod ejus contrarium odiatur. » Ubi aperte distinguit odium quod nascitur ex motivo contrario ad motivum amoris, et odium quod nascitur ex eodem motivo amoris, quasi aliquid ex amore consecutum.

VI. Dices: Omne odium nascitur ex aliquo amore, ut ibi docet S. Thomas in corpore articuli; ergo hoc quod est causari ex amore, et esse effectum amoris non extrahit odium a propria, et directa ratione odii, quia hoc etiam odio proprie dicto convenit quod oriatur ex amore.

Respondetur omne odium nasci ex amore proxime, vel remote, non autem omne odium nasci proxime ex motivo amoris, sed aliquid nasci ex motivo dissono, et contrario amori, licet præsupponat hoc motivum aliquem amorem circa rem convenientem, cui contrariatur id quod repugnans et dissonum est sibi: si enim ego habeodissonantiam et repugnantiam ad aliquid, ratione cujus odio habeo rem aliquam, talis dissonantia et repugnantia supponit amorem circa aliquid mihi conveniens, cui dissonat et repugnat id quod odio habeo, sed tamen proximum motivum non est amor ad aliquid; ex quo consequitur repelli et abominari quod oppositum est, non ex motivo abominationis et repugnantiae, sed ex motivo amoris alicujus rei, cui non compatitur illud quod rejicitur: sicut qui ex zelo justitiæ amicum homicidam suspendit, non ex odio dicitur illi velle malum quod est mors, sed ex motivo, et amore justitiæ; et qui ex duobus æque dignis eligit unum ob gratiam, et alterum repellit, non dicitur ex odio istius eum repellere, sed quia non

compatitur cum bono alteri amato ex gratia. Itaque quandoque amor unius est proximum motivum repulsæ, et nolitionis alterius, quandoque dissonantia et repugnantia erga illud. Et primo modo non est directe, et proprie odium, sed similitudinarie; vere autem est effectus ex amore consecutus.

VII. Quare odium ut est affectus voluntatis ortus ex tali motivo, scilicet ex dissonantia, et contrarietate ad appetitum, seu ad appetentem, repugnat Deo ex duplici capite, scilicet quia omnia sunt a Deo per voluntatem ejus, et quia nihil contrariatur directe et immediate Deo. Quod enim est aliquid positivum, et entitativum non dissonat Deo immediate, quia quidquid est, ab ipso est, et a voluntate Dei complacente sibi de tali re. Et hæc ratio tangitur Sapient. xi: *Nihil odisti eorum quæ fecisti; nec enim odians aliquid constituisti, aut fecisti.* Quæ est ratio a priori, et cum a Spiritu sancto reddatur, optima est, convincitque de omnibus quia quidquid est a Deo est. Quod vero non est aliquid positivum, sed pure negativum, et nihil, non est objectum odii, quia odio habere nihil, est non odisse. Si vero sit privativum, seu defectus, quod prout sic a Deo non est, non est objectum complacentiæ, sed displicentiæ divinæ, quæ generali ratione potest dici odium, non tamen stricte et proprie, quia motivum ejus non sumitur ex contrarietate aut dissonantia erga voluntatem divinam, cui nihil resistit: potius enim permittit tale malum, et existentia ejus ex permissione voluntatis, non ex resistantia et dissonantia ut sit, sed solum contarietas et privatio ejus est in ordine ad gratiam, seu justitiam creatam. Unde motivum ejus non est motivum odii, sed amoris ad justitiam, cujus effectus est illa displicentia ad suum op-

positum, quod tamen permittit. In nobis autem, quia multa sunt, quæ nostræ voluntati resistunt, eique contrariantur, et non omnia a nostra voluntate sunt, ideo possumus recipere motivum odii, quod est dissonantia et contrarietas ad nos, unde movemur ad displicentiam, quæ est odium proprie.

VIII. Ex his vero sequitur in Deo tristitiam non esse, quia affectus tristitiæ est de his quæ accidunt nobis nolentibus, et contra propriam voluntatem: nihil autem accidere potest nisi Deo volente, et ordinante, vel permittente: ergo nihil est quod Deum contristare possit: omnia enim in manu ejus sunt, et potest facere quod voluerit, sine ulla resistantia: ergo et sine tristitia, quia tristitia resistantiam supponit erga voluntatem.

IX. Objicies ad probandum in Deo esse odium: Nam ad odium abominationis non requiritur displicentia aut dissonantia de persona, sed de aliquo accidente seu forma etiam privativa, sicut abominamur ægritudinem aut tenebras, aut peccatum, Deus autem ex se, et secundum se habet abominationem et dissonantiam ad peccatum, quia avertit a Deo directe et per se, licet non destruat Deum. Sufficit autem ad odium dissonantia et contrarietas per modum aversionis: ergo Deus odio habet peccatum per se, et directe. Deinde, non requiritur quod aliquid sit contrarium ipsi voluntati, ut odio habeatur; sufficit quod sit contrarium amico, seu proximo: ergo Deus potest aliquid odio habere, quatenus contrarium est nobis, licet non sibi. Tertio, potest annihilare creaturam, et sic vult illi malum, quod est non esse, et hoc non ex amore alterius rei propter quam illam creaturam annihilat, quia in annihilatione datur pura suspensio concursus, non effectus

resultans ex aliqua priori re volita. Et in ipso peccatore odit Deus personam, non quatenus homo est, sed quatenus peccator, quia ex displicentia et dissonantia talis personæ, ut peccatoris, procedit Deus ad volendum illi pœnam et malum: pœna autem infligitur illi quatenus ipsi mala, et nociva est, alias pœna non esset: habet ergo illud odium quiddam requiritur ad inimicitiam, quia ex displicentia personæ procedit. Nec requiritur quod persona displiceat ex omni parte, sed sufficit quod ex aliqua, scilicet in quantum peccator, non ut homo. Nec potest dici quod totum hoc procedit ex amore justitiæ: nam si hoc sufficeret, nullum odium daretur etiam in nobis: nam omne odium ex aliquo amore procedit, sive quem habemus erga nos, sive erga aliud extra nos; et tamen vere et proprie est odium: ergo impertinenter adducitur illud motivum amoris ad enervandam rationem odii in Deo. Denique Scriptura expresse attribuit Deo odium, et non est inconveniens manifestum quod id intelligat de odio proprie dicto, et non in sensu metaphorico: ergo in omni proprietate Deo tribuendum est. Antecedens constat ex pluribus Scripturæ locis, ut Sap. xiv: *Odio sunt Deo impius, et pietas ejus*: I Psal. v: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem*: Zachar. viii: *Omnia hæc sunt quæ odi, dicit Dominus*: Rom. ix: *Esau autem odio habui*. Et Augustinus lib. I ad Simplicianum, q. II: « Non odit Deus Esau hominem, sed Esau peccatorem. » Et S. Thomas in hac quæstione xx, art. II ad IV, dicit quod: « Deus odit peccatores in quantum non sunt, sed ab esse deficiunt, et hoc in eis a Deo non est. Unde secundum hoc ab ipso odio habentur. » Et sic manifestatur sensus D. Thomæ quod quando negat Deo odium, loquitur de odio ad creatu-

ras, in quantum creaturæ sunt, et ab ipso sunt: sic enim odio non habentur.

X. Ad primum respondetur, quod Deus non abominatur peccatum, aut alios defectus ex motivo dissonantiæ aut repugnantiae, seu resistantiæ ad se, cum potius illa permittat, et sine ejus permissione non sint, sed ex motivo amoris, quo vult illud bonum, cujus peccatum, vel defectus est corruptivum, et sic est displicentia consecuta proxime ad amorem, et tamquam effectus ejus, non ex proprio motivo suæ dissonantiæ orta, quia hæc non est dissonantia et contrarietas immediata ad Deum, sed ad formam creatam, quam nisi amaret Deus, non faceret illi dissonantiam peccatum. Et sic dicit S. Thomas citato loco contra gentiles quod: « In quantum Deus vult bonum justitiæ, vel ordinis universi, dicitur illa odire, quorum punitionem vult, vel corruptionem. » Et cum instatur, quod sufficit aversio a Deo, quam immediate importat peccatum, ut Deus incipiat a dissonantia ipsius, ut a motivo, respondetur non sufficere istam aversionem in ordine ad Deum, quia est permissa a Deo, non resistens illi, et consequenter ad formandum motivum dissonantiæ, et resistantiæ seu contrarietatis, oportet quod Deus comparet, et aspiciat illam aversionem ut contrapositam rei creatæ, quam Deus diligit, scilicet gratiæ; et tunc jam incipit illa displicentia esse consecuta ad amorem rei creatæ, et extra Deum, non autem ut præbens motivum proximum sui, ex meritis suæ dissonantiæ, et contrarietatis ad Deum.

XI. Ad secundum respondetur, quod quando aliquid contrariatur proximo vel amico, ita quod etiam contrarietur et resistat mihi, quatenus sum aliquid amici, tunc illa dissonantia, quatenus etiam est mea,

sufficit fundare directe, et per se odium. Si autem ita contrariatur alteri, quod non mihi, ejus dissonantia non fundat per se, et directe odium, sed displicentiam consecutam, et ut effectum amoris. Deus autem ita respicit alterum extra se, quem amat, quod est ejus effectus, ita quod omne quod in illo respicit creatum est, et ei ita subjectum, ut omne quod illi contrarium est repellere omnino possit, si velit. Unde non facit dissonantiam resistantem et contrariam Deo, licet repugnet et contrarietur ipsi rei creatæ. Et ideo non potest Deus incipere displicentiam de tali contrario ab aliquo motivo dissonantiæ erga se, sed ex amore sui effectus, cui potest cum vult tale contrarium impedire, et si non impeditur, sed ei opponitur, ex permissione Dei est. Non ergo Deus ita amat creaturas quod quasi suam reputet contrarietatem et dissonantiam, quam eis faciunt sua contraria, quia licet creaturæ aliquid Dei sint, non tamen ita ut quod eis contrariatur, et dissonat, etiam dissonet, et contrarietur Deo; si quidem ita facile est ei id evincere, ut omnino non resistat divinæ voluntati; et ideo cum dissonantia illius contrarii non transeat ad Deum, sed in ipsa creatura sistat, non accipit Deus pro motivo displicentiæ et odii ipsam dissonantiam contrarii, sed ipsum amorem creaturæ, cui vult bonum, et displicet oppositum. Nos autem sic reputamus mala proximi, vel amici ut nostra, quod etiam nobis contrariari possunt, ita ut non sit omnino in manu nostra ea repellere et rejicere, et ideo in repellendis malis proximi, etiam a motivo ipso dissonantiæ erga nos immediate possumus incipere, et sic formaliter odium habere erga illa, Deus autem non, quia ex motivo dissonantiæ et repugnantiae ad se non potest accipere eorum displicentiam.